

Dissertatio inauguralis medica de haemorrhagiis naturalibus generatim consideratis / [Wolfgang Friedrich Johann Walter].

Contributors

Walter, Wolfgang Friedrich Johann.
Juncker, Johann, 1679-1759.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halle : J.C. Hilliger, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hndxrc97>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

13
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

HAEMORRHAGIIS
NATURALIBVS GENE-
RATIM CONSIDE-
RATIS

QVAM

ANNVENTE NUMINE DIVINO

CONSENSV ET AVCTOR. GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JUNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO
PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS

H. L. C.

Ad d. Aug. Anno MDCCXXXIX.

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT
AVCTOR

WOLF. FRIDERICVS JOAN. WALTER

SOLTQVELLENS. PALÆO - MARCHICVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

4

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA
DE

HÆMORRHOÏDUM
NATURALIUM
RATIA CONSIDERANDA
RATIA

AVCTORE

FRANCISCO JOSE DE CALTAIS MEDICO
IN ANNA REGIA FRIDERICIANA

PRÆFATIO

ON D. JOHANNI WACKERO

PROFESSORE MEDICÆ ORDINARIO

DOMINO PATRONO PRÆCEPTORI AC PROMOTORI
PIE VENERANDO

PRO GRADU DOCTORIS

ADMISSIOE IN ACADEMIAM HUMANITATIS ET PHILOSOPHIAE

DOCTORALIVM ACADEMIÆ

ANNO 1771

EVANGELICÆ ERUDITIONIS ACADEMIÆ

WOLFF. FRIDERICVS JOHANN. WALTER

SOLUS ACADEMIÆ LIBRARIVS

HABE ACADEMIÆ

Typis Ludovici Gleditsii in Alamo, A. 1771.



PROOEMIUM.



Vod de multis aliis in medicina veritatibus valet, lucem scilicet earum, in se clarissimam, offuciis scriptorum & negotiosa atque subtili nimis explicandi methodo, sæpissime obscurari,

id optimo maximoque iure de hæmorrhagiarum naturalium doctrina prædicari potest. Hæc enim adeo simplex est, & ita comparata, vt φαivώμεναι circa illam in praxi occurrentia cuilibet attentius consideranti, nec præiudicatis opinionibus detento, ad oculum facili ratione pateat. Et sane ea

est nostræ ætatis felicitas, vt inter plura alia, & hoc
thema genuinæ suæ origini variis in celeberrimo-
rum medicorum libris vindicatum reperiamus.
Ex eo enim tempore, quo theoria plethoræ pe-
nitius inuestigata fuit, hæmorrhagiarum quoque
ratio, quæ illam pro causa materiali potissimum
agnoscunt, & imminutionem eius primario re-
spiciunt, necessario nexu magis perspicua reddita
est. Cum autem nihilo secius multi adhuc in
contrarias partes abeant, & per solam passiuam
vasorum obstructionem, vel noxiam illam tuni-
cas erodentem acrimoniam, vel qualescumque
alias huius commatis causas rem explicare stu-
deant, ex falsis autem his hypothesibus insignes
in curatione errores, teste experientia, nascantur,
non inutilem prorsus operam me præstiturum es-
se confido, si in hac dissertatione succinctam hæ-
morrhagiarum naturalium historiam exhibuero,
& tam spuriam quam veram illarum ætiologiam,
cum secura medendi methodo, generali institu-
to demonstrauro; cui proposito DEVS ter
optimus maximus clementissime
benedicat.

CAP. I.

DE

THEORIA HÆMORRHAGIARVM
NATURALIVM.

§. I.

Quid hæmorrhagia sit naturalis, nullus vel leuiter medicæ artis fundamentis imbutus ignorat: quare superuacaneum foret, prolixiori sermone illud iam prosequi. Denotamus scilicet per hanc vocem spontaneam sinceri sanguinis per varias corporis partes euacuationem, eo fine a natura susceptam, vt plethora imminuatur, & motus humorum circulatorius iusto suo vigori & successui restitui queat. Deriuatur vocabulum a Græco αίμα, sanguis, & ῥήγνυμι, rumpo.

§. II.

Cum spontaneam esse hanc excretionem dixerim, facili exinde negotio elucet distinctio inter hæmorrhagias naturales, præternaturales & artificiales. Vti enim illæ præuiis internis humorum ad certum locum congestionibus, actiuo motu a principio vitali productis, eueniunt, & nullam externam iniuriam, vel continui læsionem, pro causa proxima agnoscunt, ita præternaturales sanguinis fluxiones a violentia externa susciuntur atque fouentur. Qualiscumque autem hæc violentia sit, perinde est, dummodo vasa sanguifera ita lædantur, vt hæmorrhagia sequatur. Hinc est, quod & arte chirurgica inductæ hæmorrhagiæ ad censum præternaturalium & passiuarum referri soleant.

§. III.

Naturales seu actiuas hæmorrhagias, (de quibus hic loci vnice mihi sermo est,) per varia loca, pro diuerso sexus atque ætatis habitu, erumpere, res est notissima, & in ipsa definitione a me subindicata. Ita enim, si e naribus sanguis effunditur, *hæmorrhagia* illa dicitur *narium*; si ex pulmonibus erumpit, *hæmoptysis* vocatur, si denique ex ani venis prodit, *hæmorrhoidum* nomine appellatur. Ventriculi vasa quando cruorem exstillant, *vomitus* exoritur *cruentus*, & si lotium sanguine tinctum, vel sola huius sinceri portio mingitur, *hæmorrhoidum vesicæ* aut *mictus cruenti* titulo hæc excretio venit. In feminis, exacto secundo vitæ septenario, cruor menstruo quouis tempore e genitalibus profluens, *mensium* appellationem nanciscitur, & si in puerperio vterus a superfluo sanguine ac sero per eandem viam purgatur, lochiorum nomine hoc insignire medicis solemne est. Quando autem in grauidis fœtus adhuc immaturus cum nimia sanguinis profusione expellitur, (quod abortum vocant,) vel post mensium cessationem sanguis adhuc copiosus, & sæpius congrumatus, prorumpit, vtraque hæc excretio *hæmorrhagia* dicitur *uterina*. Nonnunquam etiam venæ, præsertim in extremitatibus corporis, a sanguine illuc restricto, ita infarciuntur, vt tandem dehiscant, & cruorem effundant, qualis affectus nomine *varicum manantium* venit.

§. IV.

Sed & occurrunt passim exempla, vbi in vno subiecto eodemque tempore, per diuersa loca, sanguis excernitur. Sic femina quædam *Illustri Domino PRÆSIDI*
inno-

innotuit, quæ post obitum mariti, cum grauiori mœ-
rore deprimeretur, mox motibus spastico-hysteri-
cis laborare cœpit, vsque dum tandem vno eodemque tem-
pore, & mensium fluxum redeuntem, & narium hæ-
morrhagiam, & hæmorrhoidalem excretionem, cum
euphoria experiretur. In aliis vnâ hæmorrhagiam
altera excipit, vel alternis inter se vicibus promicant,
cuius rei notabile est, quod rescui, exemplum, de mu-
liere quadam, quæ colica hæmorrhoidali correpta, post
vsum pilularum balsamicarum Stahlianarum, non so-
lum a torminibus liberabatur, sed & hæmorrhoidalem
fluxum per XXIV. horas patiebatur. Huic cessanti
succedebant menses, cumque & hi iterum euanescerent,
spasmi demum in capite, hæmorrhagiam narium re-
spicientes, exoriebantur.

§. V.

His rariores adhuc sunt casus, in quibus per inso-
lita loca, e. g. mammas, penem, femora, &c. sanguis
prorumpit, quales historiæ multis in medicorum scri-
ptis sparsim enarrantur. Sic, vt alios taceam, GVI-
LIELMVS FABRICIVS HILDANVS *Cent. 3. Obs. 37.* de
mirabili quadam hæmorrhagia per vmbilicum differit.
Idem auctor Cent. 6. Obs. 46. & 47. admirandam hæmorrha-
giam per penem, & periculosum sanguinis per puden-
da profluium refert. RELES denique *qu. 86. p. 1114.* hæ-
morrhagiæ ex omnibus corporis excerniculis, mentio-
nem iniicit.

§. VI.

Singularis autem prorsus est, quæ hæmorrhagiis
naturalibus cum diuersa sexus atque ætatis ratione in-
terce-

tercedit conspiratio, quamque HIPPOCRATES suo iam tempore obseruauit, teste *Sect. III. aphor. 27. 29. 30.* Ita enim, vt solemnes illas in solo sexu sequiori conspicuas euacuationes per menses & lochia taceam; homines intra secundum & tertium septenarium constituti, hæmorrhagiis narium vt plurimum obnoxii sunt: adollescentes hæmoptysin facilius, quam reliqui, incurrunt, & in consistente ætate, ad molimina hæmorrhoidalia, & ipsum sincerum hæmorrhoidum fluxum, magnam obseruare licet promptitudinem. Vomitus cruentum & varices manantes feminæ intra mensium ambitum versantes, vel grauidæ, frequentius quam viri experiuntur, hi autem præ illis ad hæmoptysin & hæmorrhoides inclinant, & si seniores fuerint, mictu cruento laborare solent. Sed finem de his differendi facio, & ad potissimum tractationis meæ argumentum, ætiologicam scilicet hæmorrhagiarum naturalium considerationem, progredior.

§. VII.

Cum autem, ex vnanimi medicorum consensu, illud ratiocinium sit firmissimum, quod meris experimentis innititur, & signa morborum nihil aliud sint, quam experientia, non a scopo aberrabo, si; antequam causas exponam, signa generalia, in hæmorrhagiis naturalibus obuia, breuissimis attigerò; specialia enim huius loci non sunt, sed peculiari expositioni destinantur. Variant autem hæc signa pro diuersitate subiectorum: vbi enim humores satis fluxiles sunt, & consuetudo indiuidui, vel alia interna causa, hæmorrhagias producit, ibi sine notabili impetu, & grauioribus sympto-

symptomatibus sanguinis eruptio succedit; si tamen aliquis sensus illam præcedit, aut concurrit, consistit hic potissimum in quadam tensione circa loca illa, per quæ eruptio fieri obseruatur, vnde maior sensim distensio, dolorem producens, exoritur. Propius ante terminum excretionis singularis grauitas ac lassitudo, impotentiam quamdam mouendi inuoluens, aduëtos plerumque fatigat, ipse autem corporis habitus in locis remotis spasticis stricturis occupatur, & pallidus est, cum in regione, eruptioni sanguinis destinata, manifestiora læpius adsint congestionis signa, v. g. rubor, calor, cum pulsu arteriarum solito fortiori, & leuis quædam intumescencia, ab extensione vasorum ac pororum per maiorem fluidi affluxum producta dependens.

§. VIII.

Et hæc quidem, (quod superius iam monui,) in personis ad hæmorrhagias dispositis ita eueniunt; quibus autem vel per plethoram vrgentem, vel per humorum spissescenciam, vel ab alia qualicumque causa, negotium hoc impeditius redditur, illi lancinantes atque pungentes dolores in illa regione persentiscunt, in qua sanguis excretionem molitur. Durantibus his molestiis, excretiones ordinariæ per sudorem, aluum & vrinam, languidius procedunt; quam primum autem euacuatio sufficiens subsecuta est, quæuis incommoda cessant, & pristinus dictarum excretionum vigor cum plena euphoria redit.

§. IX.

Facili iam negotio ex his signis probe inter se collatis

latis vera hæmorrhægiarum causa perspicui potest. Interim tam diuersa & multiplex de illarum origine est medicorum sententia, vt vix thema medicum inuenias, quod maiore dissensu auctorum prematur. Id quidem optimi quique vltro largiuntur, quod *plethora sit causa materialis antecedens hæmorrhægiarum*; quorum ex numero allegasse sufficiat IOVBERTVM, HORSTIVM, WEDELIVM, THEODORVM ZWINGERVM, & qui primum merito locum occupat, *Illustrem FRIDERICVM HOFFMANNVM Seniozem*; nec minus pro *proxima* illarum causa vna voce accusant *apertionem vasculorum sanguiferorum*, siue illa fiat per distentionem seu reclusionem orificii, siue per disruptionem, siue per erosionem membranarum, siue denique cruor per poros transfudet; in eo denique mirifice conspirant pluriimi, quod totum negotium ex *materialibus & mere passiuis* causis deducere omni nisu allaborent, qaam primum autem harum indolem penitus inuestigare cupiunt, in varias mox abeunt sententias.

§. X.

Alii *externis* solummodo iniuriis, & *violentis* commotionibus, sub sternutatione, frictione, & mucii excussione contingentibus, turgentesque venulas disrumpentibus, omnia tribuunt; alii vero ad internas causas & humorum deprauatam qualitatem recurrunt, atque hic iterum diuersis hypothesibus subscribunt. Nonnulli enim *acrimoniam*, vasculorum tunicas erodentem, pro causa proxima fluxionum sanguinis venditant. His qui contradicunt, eundem effectum ab *ostruptione* canalium, & exinde dependente nimia eorum extensione, dedu-

deducunt. Cum autem nec hæc opinio rem exhauriat, quidam medicorum ad tertium figmentum, *transudationem* scilicet sanguinis, iusto tenuioris, per poros vasorum, confugiunt. Hos sequuntur, qui *ex æquilibræ* humorum in corpore *lesione* negotium explicare annuntur. Agmen denique claudunt recentiores, qui hæmorrhagarum genesin sibi ita concipiunt, vt *spasticam humorum a peripheria corporis ad interiora restrictionem* pro causa proxima agnoscant, vnde circulationis inæqualitas, & ex hac ipsæ denique venarum disruptiones orientur.

§. XI.

Quam manca autem & insufficientia hæc omnia sint, & quot nævis atque caussarum fallaciis laborent, attendita hæmorrhagarum obseruatio, rationibus tam physiologicis, quam pathologicis confirmata abunde docet. Sic enim, vt primo loco nociuam illam acrimoniam paucis attingam, (*) in aprico est, non homines dyscrafia humorum acri & falsa laborantes hæmorrhagias pati; sed iuuenes optimum ac floridum sanguinem in venis alentes, quod vel sola venæsectione patefieri potest. Hinc est quod lue gallica infecti, in quibus acrimonia glandulas & ipsa ossa erodit, ab hæmorrhagiis plerumque satis liberi degant; & licet scorbutici sæpius cruorem effundant, id tamen spasmis potius sanguinem exprimentibus, quam acrimoniæ adscribendum venit. Nulla porro suppetit ratio sufficiens, si acrimonia hæmorrhagias producit, cur non sæpissime immo quotidie fere contingant; sanguis enim acri falsedine imbutus ad omnes corporis partes perpetuo fer-

tur, & sic hastatæ illæ particulæ, modo hic, modo illic membranas arrodere, immo & neruos, tenera ista & sensibilia organa, lædere necessario deberent, quod tamen non fieri experientia loquitur. Idem effectus præ aliis locis eueniret in partibus, seroso affluxui, tamquam acrimoniæ appropriato vehiculo, obnoxii, & ita subtilissima in oculorum tunicis conspicua vascula crebro sanguinem plorare deberent. Sed his omnibus infensus ille seu potius fictus hostis beneuole parcat. Et quæ denique causa acrimoniæ nostræ mox frena iniiceret, mox eadem solueret, vt hæmorrhagia statis periodis atque diebus recurrere posset, quod in mensibus præcipue & hæmorrhoidibus, immo & in narium cruentatione nonnunquam obseruare licet.

(*) Næui huius hypotheseos ipso auctorum, ei fauentium, dissensu, & tantum non ridiculis eorum fictionibus, optime patefiunt. Sic PARACELSISTÆ in hæmoptysi accusant salia acria corrosiua, benigniorum lenientium mixtura destituta, & imperium circa pulmonum vasa sibi rapiencia. WILLISIVS eundem effectum sanguinis, acri dyscrasia laborantis, nimie efferuescentiæ tribuit, qua arteriæ tracheales referentur & sic vnitas soluatur, vt sanguis effluere possit. SYLVIVS denique, & qui eius castra sequuntur, bilem fluidiorem fermentescentem & acrem, sanguini commixtam, hæmoptysin prouocare autumant, vt alios silentio premam. Nec minor dissensus illorum est in negotio hæmorrhoidali explicando; PARACELSI enim asseclæ salia syluestria acria in sero, liquefactionem sanguinis efficiencia, WILLISII discipuli iterum efferuescentem sanguinis acrimoniam, SYLVII autem se-

ctato.

Etatores, vel serum sanguini copiose admixtum vasaque relaxans, vel acrem falsedinem in causa esse aiunt; sed omnes hi probationes assertorum suorum legitimas sicco fere pede transeunt. Feliciores his in indagandis hæmorrhagiarum causis haud fuerunt HELMONTIVS & DOLÆVS. Ille enim potissimam hæmorrhoidum causam esse putat dissensum fellis & pylori, vel translationem transmutatorum sextæ digestionis in primam, & hæmoptysin ex furore archæi pulmonarii, ob onerosum tam quantitate quam qualitate cruorem, vel etiam pus, deducit. Hic vero, (DOLÆVS scilicet,) sanguinis excretionem ex pulmonibus attribuit Regi CARDIMELECH, furore percito, ob sanguinem acrem indeque extrauasatum, simul imperium circa pulmonum vasa sanguifera rapiente hoste, in sanguine latente; vt nihil dicam de ætiologia hæmorrhoidum, & oppresse GASTERANACIS, ab eo tradita. Absona hæc sane sunt, sed continent quasi in se umbram veritatis; indicant enim, dictos auctores insufficientiam theoriæ mere physicæ in his affectibus agnouisse, & ideo ad directorium principii cuiusdam immaterialis, licet multis sub fictionibus, confugisse.

§. XII.

Sed satis de hoc figmento dictum; ad secundam hypothesein seu *obstructionem vasorum* me conuerto. Hæc vel in arteriis vel in venis euenire creditur; in illis autem ob vegetum sanguinis impulsu, in subiectis præsertim floridis ac iunioribus, locum vix inuenire potest, nec arteriæ tam læpe cruorem exstillant quam venæ, immo & hæc per turgidam suam inflationem, tempore fluxionis conspicuam, arterias non obstructas esse manifesto docent; his enim obseratis sanguis in ve-

nas penetrare non posset. Quod ad venas attinet, duobus præcipue argumentis hæ ab accusatione obstructionum liberantur. Orificia enim sanguinem fundentia obstructa esse nequeunt, & quomodo ipsi venarum rami, quorum diameter perpetuo crescit, tam facile occludi possint, ego saltim minus perspicio. Ut taceam periodicum hæmorrhagiarum recursum, qui obstructionem æque ac salædinem optime reuellit. Et sane præclare nobiscum in praxi medica actum esset, si veras vasorum obstructiones atque infarctus tam leui negotio tollere possemus, quam in hæmorrhagiis ex hac hypothese id euenire necesse esset. *Conf. B. STAHLIVS in dissert. de obstructione vasorum sanguiferorum.*

§. XIII.

Non maiorem fidem merentur reliquæ opiniones de *transudatione & æquilibrio humorum læso*. Tanta enim sanguinis resolutio, vt per poros sudare posset, putredinosam atque malignam fermentationem breui induceret, ac ægros iugularet; immo ipsa cruoris per hæmorrhagias profusi facies, regulariter spissiuscula, contrarium docet. Quod autem ad æquilibrio attinet, hoc non in causa esse, multæ illæ passim occurrentes leuiores eiusdem læsiones, quæ hæmorrhagiam minime producant, sufficienter probant: notabilis vero inæqualitas propter leges circulationis sanguinis vix locum inuenit, nisi ex spasmiss oriatur. Sed neque hi negotium absoluunt; præter enim id, quod menstruatim vel statis aliis temporibus recrudescentes fluxus nihil plus lucis ex hac hypothese, quam ex reliquis, nanciscantur, semper adhuc dubium manet, quænam sit
caussa

caussa efficiens spasmodorum; quos accusare pathologi solent.

§. XIV.

Nihil itaque reliquum est, quam ut reiectis his, quæ veritati minus congruunt, sententiis genuinas hæmorrhagarum causas paucis ostendam. Diuidi hæc commode queunt in *materiales & formales, efficientes ac procatarticas*. Ex materialibus remotiorem causam plethoram esse, non solum ratio a priori comprobatur, (humoribus enim nimis abundantibus vasa vehementer expanduntur, ut orificia sub leuiori quoque motu mox recludi possint,) sed & omnia quæ prostant hæmorrhagarum signa luculenter declarant, ad quæ proinde lectorem beneuolum relego. Meretur autem hic inseri obseruatio *Illustris FRIDERICI HOFFMANNI, ex Med. rat. Systemat. Tom. IV. part. II. p. 5.* vbi plethoram præcipue ferosam hæmorrhagiis fauere optime monet. Serum enim non solum fluxilitatem sanguini conciliat, ut eo melius erumpere possit, sed & motum facilius concipit, quam reliqua spissior rubicunda portio, cum quo eundem communicat. Nimiam hanc sanguinis ac seris copiam principium vitale seu natura deplere, & sic varia ac fontica illa damna, quæ plethoram presso læpius pede sequuntur, auertere cupit, cui proinde titulum causæ efficientis merito tribuimus. Obtinet autem hunc finem per spasmodicas sanguinis versus loca hæmorrhagica restrictiones, quibus vasa illic conspicua inflantur, distenduntur & denique aperiuntur, ut cruor inclusus effluere possit. Hæc igitur tonica sanguinis ad certam partem congestio est causa hæmorrhagarum formalis.

Siquis

Siquis vero de asserti huius veritate dubitare, & positionis incerti principii me accusare voluerit, illum ad ea relego, quæ in vtramque partem a viris celeberrimis de hac materia ventilata hucusque fuerunt, ex quibus inter se collatis, si non apodictica veritas, summa ad minimum thesæ nostræ probabilitas clarissime elucescit. Cum enim in præsentis schediasmate incidenter saltim de principio vitali verba faciam, a proluxa eius rei deductione merito abstineo.

§. XV.

Negandum tamen non est, quod variæ quoque dentur causæ procatarcticæ seu occasionales, quibus deficientibus natura fortassis hæmorrhagias sæpius alio tempore produceret; & in hunc censum veniunt omnes tam corporis quam animi grauiore commotiones, quibus humores exagitantur & ad exitum disponuntur. Facili hoc negotio per singulas hæmorrhagiarum species demonstrari posset, nisi temporis angustia & ipsa generalis instituti mei ratio obicem ponerent. Sed nec opus eo est, cum quotidiana passim occurrat huius rei experientia, & quilibet, cui talia exempla legere volupe est, in omnibus medicorum libris plurima inuenire queat.

§. XVI.

Consuetudo quoque multum ad hoc negotium confert. Opus enim semel feliciter perfectum sæpius reiterari solet, & materialis quædam dispositio ac laxitas partium solidarum, crebriore sanguinis congestionem inducenda, nouis insultibus viam in simul pandit. Ex his ergo
 fon-

fontibus arcessendi sunt hæmorrhagiarum periodi earum natales, in quibus non raro quoad minimas etiam circumstantias temporis ratio habetur. Nec minus per hæc obscuræ satis doctrinæ de hæmorrhagiis hereditariis aliqua lux affundi potest. *Conf. B. STAHLIVS in dissert. de consuetudinis efficacia generali, item in dissert. de affectibus periodicis & de hereditaria dispositione ad varios affectus.*

§. XVII.

Ex hæctenus allatis satis elucescere arbitror; quod hæmorrhagiæ naturales, secundum intentiones principii agentis consideratae, omnes quidem salutarem effectum, plethoræ scilicet imminutionem respiciant; ob varias autem circumstantias optatum finem non semper assequantur. Præcipuum hic momentum in loci hæmorrhagici diuersa indole situm est. Quando enim securus ac tutus eligitur, totum negotium regulariter ex voto decurrit, quod de hæmorrhagiis narium, hæmorrhoidibus, mensibus & lochiis experientia docet. Si vero sanguis ex talibus partibus erumpit, quæ vel a locis excretoriis longius remotæ, vel ob teneram ac laxam texturam ad stases & corruptiones humorum concipiendas dispositæ, vel etiam spastico-conuulsivis motibus præ reliquis obnoxia sunt, pessima exinde mala necessario sequuntur. Hinc est quod hæmoptysis frequenter vlcus pulmonum phthisicum, vomitus autem & mictus cruentus fonticas læpe ventriculi & vesicæ læsiones comites habeant.

§. XVIII.

Licet autem erronei motus in hoc negotio occurrant, minime tamen ex his concludere possumus, quod

C

totus

totus hæmorrhagiarum apparatus, accidens præternaturale, mere passivum & noxium fit. Vti enim hallucinationes hominum in moralibus rationalis animæ existentiam ac operationem non tollunt, ita etiam in vitabilibus mala naturæ inuentio bonam ac rationalem eiusdem intentionem minime refutat. Immo attentaque observatio monstrat, quod hæmorrhagiæ naturales, sibi relicte, præsertim periodicæ, vt plurimum satis moderate decurrant, plethoram pulchre imminuant, & multos eosque fonticos morbos, ex sanguinis redundantia oriundos, vel præcaueant, vel postliminio rursus soluant, quale quid in hæmorrhoidibus, malo hypochondriaco superuenientibus, euenire solet. Idem testatur alacritas & euphoria, quæ legitimis sanguinis fluxionibus, loco prostrationis virium, tam certo succedit, vt etiam copiose atque cum impetu erumpentes ægros non ita facile insigniter debilitent, vti vulgo traditur.

§. XIX.

Interim non negandum est, quod per effrenes sanguinis profusiones multa sanitatis damna produci, motusque humorum circulatorius grauissime turbari, & vires tonicæ insigniter labefactari possint ac soleant. Sic GOCKELIVS *Centur. I. conf. 93.* hæmorrhagiæ variarum partium lethalis, præuia ebullitione sanguinis, scorbuticarum eruptione macularum in toto corpore, mentionem facit. Observatur autem præcipue talis excessus in illis subiectis, in quibus laborioso admodum conatu sanguis exprimitur; principium vitale enim ab excretionem, quæ multo labore obtinenda fuit, non facile

cile desistit. Longe maius vero periculum imminet illis, qui hæmorrhagias per incondita artificia, opiata præsertim ac adstringentia remedia, supprimunt. His tentaminibus enim stagnationes, stases, inflammationes, febres pessimi moris, & multi alii morbi succedunt. *Conf. cap. II. & A. E. L. 1719. Nov. p. 500.* Singulare denique est, quod hæmorrhagiæ tam naturales, quam artificiales, motus febriles plerumque excipiant; cum autem *Illustris Dominus PRÆSES in peculiari dissertatione de motuum augmento post hæmorrhagias* hoc augmentum solidissime pertractauerit, actum hic agere nolo, sed ad posterius dissertationis meæ caput de Therapia hæmorrhagiarum progredior.

CAP. II.

DE

THERAPIA HÆMORRHAGIARVM
NATVRALIVM.

§. I.

Dolendum est, quod schola medica largiores paululum hæmorrhagias iam dudum pro hoste declarauerit, cum per superius deducta salutares potius œconomiam animalem optime subleuantes sint. Vix enim dici potest, quam graues ex falso hoc supposito in praxin medicam irrepsent errores, quos inter primum sibi vindicat locum medicatio per opiata narcotica & adstringentia. Hæc enim parua in dosi adhibita fluxionem sanguinis non sistunt, sed potius augent, & viscera nobilia ventriculo adiacentia sæpe facilius, quam loca dissita excretoria constringunt; in largiori

vero quantitate propinata tanto peius se se gerunt. Et absolum sane est, sanguini vasa & vias prementi exitum præcludere, affluxu eiusdem non prius deriuato.

§. II.

Varia ex peruerso huiusmodi artificio propullantia mala in fine capituli præcedentis enumeravi, stases scilicet humorum, intarctus & scirrhus viscerum, inflammationes tam vniuersales, i. e. febres inflammatorias, quam particulares, & ipsas denique corruptiones, vel vlcerosas, vel apostematodeas, cum febre hectica coniunctas. His subiungere placet fonticos illos animi morbos, qui hæmorrhagias suppressas sæpius insequuntur. Vt enim totum apparatus mali hypochondriaco-hysterici, ex defectu hæmorrhoidum & mensium vt plurimum oriundi, cumque variis imaginationis ac phantasiæ turbationibus, immo veris sæpe deliriis complicati, silentio præteream, casum ab *Illustri Domino PRÆSIDE* cum auditoribus communicatum in mentem mihi reuoco. Puer scilicet XIV. circiter annorum, frequente & eximia subinde hæmorrhagia narium laborabat; cui cum mater auxilium ferri cuperet, & a *Domino PRÆSIDE* medicamentum sistens peteret, ob noxam vero imminentem, loco adstringentium, temperantia remedia acciperet, illa moræ impatiens, nec sibi temperans, temerario demum ausu linteum aqua frigida largiter imbutum nuchæ filii adplicabat; quo incondito tentamine hæmorrhagia quidem mox compefcebatur, æger autem in delirium tantum non maniacum incidebat; a quo licet per medicamina tandem liberaretur, sequente tamen tempore cum aduersa valetudine

ne & mentis aliqua vacillatione conflictatus, mature satis diem supremum obiit. §. III.

Meum itaque est, securiorem hæmorrhagiis medendi viam iam indicare; cui officio pro tenui virium meorum modulo satisfaciam. Quando moderate & legitime per congrua loca sanguis excernitur, nulla medicatione opus esse merito censeo. Sicut enim sponte currenti naturæ calcar adiicere, proxima via est ad lapsum; ita eandem non excedentem refrenare atque corrigere velle, idem ac turbare est. Totum potius negotium in tali casu quietæ subiecti continentia absolvitur. Quando autem contrario modo res sese habet, & hæmorrhagica excretio iustas limites quacunque ratione transgreditur, prudentis medici auxilio ægro omnino succurrendum est. §. IV.

Duplici hoc fit modo: vel enim insultum mali imminētis auertere, vel incommoda iam iam præsentia tollere cupimus. Illa dicitur præseruatoria, hæc curatoria methodus. Quod ad posteriorem attinet, tribus absolvitur indicationibus; sanguinis scilicet orgasmus nimis placandus, congestio humorum particularis discutienda, vasa cum reliquis partibus solidis tonice roboranda sunt. Priori scopo accommodatissime interviunt pulveres præcipitantes ac temperantes ex nitro depurato, absorbentibus vel simplicibus vel citratis, & cinnabari compositi, atque vel soli, vel cum aquis diaphnoicis & analepticis, e. g. aqua flor. tiliæ, borragin. &c. exhibiti. Mira enim est, quam nitrum possidet efficaciam tam in particulis agilibus inuoluendis, quam ebullitionibus contemperandis, & spasms demulcendis, testibus *A. E. L. 1701. Nov. p. 523.*

§. V.

His remediis si non cedit hæmorrhagia, ad moderate sistentia, & secura anodyna refugiendum est; quo nomine eximiam laudem sibi vindicat cortex calcarillæ, qui prædictis pulveribus cum cinnabaris paulo maiori dosi admixtus, motus egregie placat, & partes benigne roborat. Maiorem adhuc in sedando possidet vim massa pilularum de cynoglossa, cuius granum vnum cum dictis pulveribus maritari, & ægro propinari potest. v. g. recipe nitr. purific. scrupulum semis Conch. citr. scrupulum vnum Cinnab. ppt. Spec. de hyacinth. aa. gr. XVI. M. P. de Cynoglossa gr. IV. M. f. puluis Div. in IV. ptes. Versus noctem vna vel altera exhibeatur, non neglectis per diem pulveribus simpliciter temperantibus supra descriptis.

§. VI.

Ad secundam & tertiam indicationem, congestionis scilicet discussionem, & toni roborationem progredior. Vtraque hæ explentur per vsum mixturæ tonico nervinæ STAHLII, ex spiritus C. C. rectificati parte I. & Tincturæ antimonii tartarificatæ partibus II. concinnatæ. Hæc enim non solum propter sal volatile egregie roborat, sed per admixtam tincturæ alcalinæ partem eundem quoque effectum sine æstu insequente præstat, & efficacia diuretico - diaphoretica insigni simul pollet. Cautam tamen exposcit adplicationem, alias sub vsu eiusdem hæmorrhagias nondum perfecte sedatas nonnunquam recruidisse, *Illustr. Dominus PRÆSES* sæpius testatus est. Ceterum assentiunt mihi, salium volatilium circumspæctum vsum in his adfectibus laudanti, *A.N.C. Vol. I. obs. 234. p. 549.*

§. VII.

Ab adstringentium vsu, quod sæpius iam dixi, sedulo

dulo cauendum, nec nisi summa vrgente necessitate, incassum scilicet adhibitis omnibus ante hac enumeratis remediis, cum illis medicatio instituenda est. Quodsi autem enormis ac perpetua sanguinis profusio adplicationem illorum omnino exposcat, externe potissimum, raro nec affatim interne exhibeantur, & quam primum periculum cessauit, rursus omittantur, diluentibus & aperientibus mox subiunctis.

§. VIII.

Atque hæc quidem de curatione in paroxysmis hæmorrhagarum: longe autem consultius est, eosdem præcauere. Hoc qui cupit, respiciat finem hæmorrhagarum, plethoræ nempe depletionem. Administrentur itaque circa æquinoctia venæsectiones, & sufficiens quantitas sanguinis euacuetur; scarificationes quoque & hirudines pro diuersitate circumstantiarum in vsum trahantur. Quantitate humorum imminuta, qualitates eorum vitiosæ corrigantur, & crasis sulphureo acris, per nitrosa, absorbentia, emulsiua ac lenia acida, e. g. lap. prunell. nitr. depurat. ocul, cancer. præparat. & citr. matr. perlar. succ. citr. ribium, berber. &c. emendetur; spissa vero sanguinis consistentia, per incidentia & resoluentia diuretico diaphoretica remedia, e. g. per tartarum vitriolat. vel alia salia media, per radices temperatas, pimpin. alb. ari, vincetox. gentian. rubr. &c. herbas capillares, hb. scordii, galeg &c. Gummi ammoniac. galban. &c. attenuetur & colliquetur.

§. IX.

Ante omnia motus corporis voluntarius sedulo ac quotidie ad lenem sudorem & placidam defatigationem vsque exerceatur; hoc enim magna sanguinis portio in serum mutatur, & per cutis poros excernitur, vt natura
non

non opus habeat, hæmorrhagicas congestiones suscipere. Victus sit parcior, & potus moderate largus ac satis dilutus; animi denique pathemata, & quæuis repentinæ commotiones, angue ac cane peius, fugiantur. In primis sibi ab his caueant illi, quorum vires per nimias hæmorrhagias exhaustæ sunt: quietem potius colant, & per temperata analeptica cum diluentibus & antorgasticis maritata, vires reficiant, nec minus tonicis æqualem humorum distributionem promoueant, sola tamen salia volatilia non adhibeant, quia hic, vti in febribus, tumores œdematosos facile inuitant. Sic, Diuino auxilio sanitatis vigorem paullatim rediturum esse firmiter censeo.

§. X.

Reliquum nunc esset, vt de remediis hæmorrhagiarum specificis, amuleticis & sympatheticis, de puluere DYGBÆANO ex vitriolo per radios solis calcinato, confecto, de bufone HELMONTII exsiccato, iaspide rubra BORELLI de radice pseudo acori, seu irid. vulgar. palustr. & aliis huius commatis differerem; item vt de ligaturis partium extremarum, de torculari ad hæmorrhagias, & altero instrumento in *A. E. L. 1719. Jun. p. 253.* descritto, fusius agerem: cum autem hæc omnia in specialibus singularum hæmorrhagiarum pertractationibus explicanda veniant, hic loci ea merito silentio transeo, nec aliis materiam adscribendum præripio, beneuolum autem lectorem, tam ad superius recensitos auctores, quam ad *Conspectum medicinae Illustr. Dn. PRÆSIDIS* & *A. E. L. suppl. 3. p. 312.* interim ablego.

TANTVM.